

CYPRIANI CORDUBENSIS EPIGRAMMATA.

(Vide Patrologiæ tom. CXXI, col. 567, in appendice ad Opera Alvari Cordubensis.)

JOANNES PAPA X.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Mansi, Conciliorum amplissima collectio, tom. XVIII, col. 315.)

Joannes ex archiepiscopo Ravennate factus est pontifex, vel potius pseudopapa, anno Domini non-
 gesimo duodecimo, tempore Constantini impera-
 toris Orientalis. Theodora, meretricis impudentissi-
 ma, in hujus speciei decorem vehementer exardens,
 Landoni pontifici subrogari procuravit eundem,
 quem ipse Lando ex Bononiensi episcopo archiepi-
 scopum Ravennatem ordinaverat. Fecerat illud
 Theodora, inquit Luitprandus, ne amasii ducento-
 rum milliarium interpositione, quibus Ravenna se-
 questratur a Roma, rarissimo concubitu potiretur.
 Ita impudicus homo meretricis viribus Romæ pol-
 lens, factus est pseudopapa et nefarius sedis inva-
 sor. Quod ut fieri potuisse credas, memineris, lec-
 tor, Theodoram, ut testatur Luitprandus, duas
 habuisse filias, unam Maroziam nomine, quam Ser-
 gio pseudopontifici prostituit; alteram Theodo-
 ram, quæ per adulterium ex Adelberto Tusciæ mar-
 chione suscepit Albericum, qui hoc tempore urbis
 Romæ principatum usurpabat, eique fere solus do-
 minabatur: præterea Maroziam post obitum Ser-
 gii nupsisse Widoni filio Adelberti, legitimo Tus-
 ciæ principi, cujus tanta erat potentia, ut rex po-
 tius quam marchio videretur appellandus. His fluctibus agitabatur navicula Petri. Verum Christus
 in ea dormiens patiebatur illam istis procellis ope-
 riri et immergi, sed non plane absorberi. Nam li-
 beratam ab infinitis hæresibus, contra gravissima
 scandala reddidit adeo tutam, ut qua de causa hæ-
 retici novatores Ecclesiam velut impii blasphemant,
 eandem ob causam filii ejusdem Ecclesiæ
 Deo grati Deum laudent et benedicant. Initium
 pontificatus Joannis ad annum Christi 912 (556)
 referendum esse certo argumento colligitur ex
 Chronico Cassinate Leonis Ostiensis, lib. 1, cap.
 55, ubi ingentem victoriam de Saracenis obtentam
 dicit contigisse anno Redemptoris nostri 915,
 indictione 3, invasionis vero Joannis anno 3. Quod
 si verum est, opus est affirmare eum anno 912 se in
 sedem apostolicam intrusisse. Ex rebus sub hoc
 pontifice gestis verisimile esse colligitur, quod qui
 invasor, fur et latro ingressus erat, accedente cle-
 ri consensu, legitimus Romanus pontifex haberi
 cæperit, quando copiis suis cum Alberico filio Adel-
 bertii marchionis Tusciæ conjunctis, cum eodem
 contra Saracenos in prælium venit. Nam post Sa-
 racenos debellatos diversæ legationes ex diversis
 orbis partibus, pro palliis aliisque rebus imploran-
 dis, ad eum missæ leguntur. Ad referendam gra-
 tiam Berengario pro auxilio quod contra Sarace-
 nos tulerat, eundem mense Septembri, anno 915,
 imperatorem inunxit. Ex delictis pluribus retroac-
 tis conscientia sauciatus, animi dolore languens,
 legatum misit Compostellam ad venerandum
 corpus sancti Jacobi apostoli, deditque litteras ad
 sanctum Sisenandum ejusdem Ecclesiæ episcopum,

petens pro se juges preces apud sanctum Jacobum
 Deo offerri, ut in hac vita et in hora obitus sui
 Deum propitium habeat. Cumque Sisenandus in per-
 vestigandis Romanæ Ecclesiæ ritibus totus intentus,
 invenisset eos in multis plane diversos esse ab iis qui
 in Missali Hispanorum Mozarabi nominato conti-
 nebantur, legatis pontificiis ex Hispania disceden-
 tibus suum ille adjunxit, per quem a Joanne pa-
 pa facultatem accepit emendandi ritus Missalis sui
 in iis quæ majoris momenti viderentur. (AMBROS.
 MORALES Chron. Hisp., lib. 15, c. 47.)

Idem pontifex Hilduinum Tungrensem episco-
 pum, quem clerus et populus elegerat, rejecit, et
 Richarium abbatem a rege propositum ordinavit,
 eique causam et controversiam biennalem adjudi-
 cavit. (FLODOARDUS.) Seulfo Rhemensi archiepisco-
 po post Heriveum defunctum pallium misit. Cum
 hoc Heribertus comes Aquitanie potentissimus pactum
 iniverat, ut filius suus præficeretur Rhemen-
 si Ecclesiæ; ea nimirum intentione, ut potestate
 ungenti reges penes Rhemensem constituta, rex
 Galliarum ungeretur, quem illum electum vellet.
 Dum ergo ministri comitis moræ impatientes Seul-
 fum archiepiscopum propinato veneno e medio
 sustulissent, filius Heriberti comitis, puer nondum
 quinquennis, proh scelus inauditum! electus est
 Rhemensis archiepiscopus. Factum plane monstro-
 sum, nunquam hæcenus in orbe Christiano visum
 nec auditum, imo nec puto mente conceptum,
 Joannes papa non modo non improbarit, sed fa-
 ctam potius electionem ratam esse voluit, munera-
 que episcopalia Abboni Suessionico episcopo com-
 misit et delegavit; suoque hoc facto infamis pon-
 tifex posteris exemplum præbuit, ut complures
 principes non tantum hoc, sed etiam subsequenti-
 bus sæculis, proh dolor! adolescentulos sibi san-
 guine junctos in summas cathedras maximo malo
 Ecclesiarum promoveri procuraverint. Opus sane
 tali pontifice dignum, quem infamis femina infami
 opere in solium Petri intruserat. (FLODOARD.
 lib. IV, cap. 19.)

Hujus temporibus Ecclesia Constantinopolitana
 inter Euthymii et Nicolai patriarcharum fautores
 schismate divisa, unita est, sublataque est contro-
 versia illa de trigamia, quæ occasione Leonis Sa-
 pientis quarto nubentis Constantinopoli oborta fuit.
 (CROPALATES.) Henricus, post obitum Conradi, fa-
 ctus est rex Germaniæ; qui cum velatam viduam
 Ervini senioris filiam duxisset uxorem, de sacrile-
 gio correptus, illa deserta, pedibus Romam con-
 tendens penitentiam egit. Ad subjugandos Lotha-
 ringos profectus, per legatum Caroli Simplicis do-
 no accepit manum sancti Dionysii auro inclusam.
 Berengarus imperator, cum in odium Rodulphi
 regis fœdus iniisset cum Saracenis, a suis occisus
 est (LUITPRANDUS.)

(556) Imo 913; nam victi Saraceni 915, mense Aug. Joannes pontificatum iniiit an. 913, sub finem
 Januarii. En annus tertius.

Cumque post hæc omnia Joannes papa annos A *ejus imposito pessime suffocatus fuit atque dignum sedecim sedem tenuisset, Wido Tusciæ marchio. suis sceleribus finem accepit inuasor et injustus suasu Marozie conjugis, quæ quondam Sergio papa prostituta fuerat, eundem propter Petrum papæ germanum, quem summa invidia prosequeretur, sede amotum in carcerem conjecit: atque in eodem non multo post defunctus, vel cervicali ori*

detentor sedis apostolicæ: ut qui per impudicam matrem Theoderam sacrosanctam sedem violenter arripuit, per filiam æque impudicam justa Dei vindicta ejectus et in carcerem conjectus, ea simul cum vita caruerit. (LITFRAND. et FLOGGARD.)

JOANNIS PAPÆ X EPISTOLÆ ET PRIVILEGIÆ.

I.

EPISTOLA JOANNIS X AD EPISCOPOS NARBONENSIS PRIMÆ.
(ANNO 914.)

Agii metropolitani ordinationem confirmat; Geraldum pervasorem damnat; Agio pallium mittit.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XVIII.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, REGINALDO Biterensi, ARMANO Tolosensi, RICULFO El-nensi, GIMARÆ Carcassensi, WIGONI Gerundensi, GERARDO Agathensi, TEUDERICO Lutovensi, REUBERTO Nemausensi, item TEUDERICO Barchinonensi, GEORGIO Ausonensi, RUDOLPHO Orgelitanensi, Ecclesiarum Christi reverendissimis ac sanctissimis episcopis.

Sanctitatis vestræ litteras de metropolitano Agio suscipientes, huic insidias et fraudes Geraldinequissimi ei illatas agnoscentes, valde doluimus, et quasi nostro corpore suscipientes defecimus. Unde vestræ sanctitati notum esse volumus, quia præfatus Geraldus falsidicus, ad hanc sanctam Romanam atque apostolicam Ecclesiam, cui auctore Deo deservio, veniens, a nobis quasi innocens, subripere voluit episcopatum, cui nos, licet ejus iniquitatis versutiam plenius non agnoscentes, commo-dare sine canonica censura noluimus. Ipse vero, ut multorum veridica relatione comperimus, nescio quas falsas epistolas per subreptionem, quasi ex nostro nomine vobis perferens, episcopatum Narbonensem hac occasione armata manu depræ-datur, venerabilis Agius ejus insidiis captus, venire ad sanctam sedem apostolicam differtur, et alia quamplurima de illo, antequam per vestras litteras, cognovimus audientes. Quapropter vobis per Eyminum archiepiscopum [*Vesontionensem*], nostras apostolicas litteras misimus, ut ipsum sæpe nominatum Geraldum per omnia falsidicum tenentes, inter episcopos non haberetis. Nunc, quia malitiam, iniquitatem, atque fraudes, a vestra fraternitate pleniter agnovimus: volumus, atque apostolica auctoritate mandamus, ut, sicut jam vobis scripsimus; et sacri canones testantur, eum inter episcopos non habeatis: quippe nec a clericis, vel populo sit expetitus, nec a vobis suis comprovincialibus more solito ordinatus. Privilegium, pallium, usum pallii, vestro metropolitano Agio, ut vestra petivit dilectio, misimus: quia nulli ecclesie

B hoc quod illi juste competit, denegamus. Optamus vos in Christo nunc et semper bene valere.

II.

PRIVILEGIUM JOANNIS X HAICHONI ABBATI CONCESSUM.
(ANNO 917.)

Monasterii Salvatoris Fuldensis privilegia confirmat.

[Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*, 308.]

JOANNES episcopus, servus servorum Dei, HAICHONI religioso abbati venerabilis monasterii Domini Salvatoris et per eum in eodem venerabili monasterio successoribusque suis abbatibus in perpetuum.

Summam gerentes sollicitudinem omnium venerabilium locorum, quantum ex divino adjutorio possibilitas datur, de eorum stabilitate satagere studemus. Hoc namque studio et divina placatur elementia et laus Ecclesie Christi procuratur. Nam potiori et nos fiducia pro impetranda venia delictorum æternam pietatem audemus implorare. Et ideo reverentia tua postulavit a nobis, quatenus jam dictum venerabile monasterium Domini Salvatoris a sancto Bonifatio archiepiscopo constructum in loco Boconia erga ripam fluminis Fulda privilegii sedis apostolicæ munimine decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ cui Deo auctore deservimus Ecclesie constitutum nullius alterius ecclesie jurisdictionibus submittatur. De qua re piis desideriis faventes hac nostra apostolica auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus secundum privilegii seriem quod ab antecessore nostro bonæ memoriæ Marino hujus almæ sedis præsule inibi perpetualiter factum nobis ostendere satagisti. Et ideo omnem cujuslibet ecclesie sacerdotem in præfato venerabili monasterio ditionem quamlibet habere et auctoritatem præter sedem apostolicam, et episcopum in cujus diocesi idem venerabile monasterium constructum esse dignoscitur, cui licentiam concedimus tantum cum opportunitas consecrandi altaris fuerit. Prohibemus ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem solemnitatem quisquam præsumat omnino celebrare, ut profecto juxta id quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit, inconcusse dotatum permaneat locisque ac rebus tam eis quas moderno tempore